ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: U.A. BONAVENTURA. IOHANNES GERSON. NARCISSUS HERZ DE BERCHING. IOHANNES KECK. PS. BERNARDUS CLARAEVALLENSIS. HUGO DE SANCTO VICTORE. GALLUS DE AULA REGIA. THOMAS A KEMPIS. HENRICUS DE BITTERFELD. LUMEN ANIMAE. SERMONES

15. Jh. Seite 88r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37149
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



eternu ubi semp erunt sine fine in luctu et gemitu procul quippe
abtra paradisi janua exulati cruciabuntur in gehenna perpetue
nunquam lucem uisuri nunquam requiem adepturi sed per milia milium
annorum in inferno cruciandi inde nunquam liberandi Ubi nec qui
torquetur aliquando moritur nec qui torquet aliquando fatigatur Sic enim
ibi ignis conburit et consumit ut semper resuetur sic tor
menta augentur ut semper innouentur Juxta qualitatem vero culpe
unusquisque sustinebit penam iehenne et similibus culpis similes
debentur cruciatus Nil ibi audietur nisi fletus et planctus et
gemitus et ululatus et stridor dentium atque meror Nilque ibi
uidebitur nisi vermes et laruales facies tortorum atque horrida
ac deterrima monstra demoniorum Xpus Est locus indignis
quo non extinguitur ignis Nec qui torquetur nec qui torquet mo
rietur Frigus flamma timor vermes flagellaque fetor De
monis aspectus scelerum confusio luctus Sunt baratri pene quas
debet quisque timere vermes crudeles mordebunt intima
cordis Hinc dolor inde pauor gemitus stupor et
timor horror Ardebunt miseri in igne inextinguibili
in eternum et ultra In carne cruciabuntur per ignem in spiritu per conscientie
vermem ibi erit dolor intollerabilis fetor incomparabilis
timor horribilis mors corporis et anime sine spe uenie et
misericordie Sic tamen morientur ut semper uiuant
et sic viuent ut semper moriantur Ita anima peccatrix aut
in inferno propter peccatis cruciabitur aut in paradiso pro bonis meritis
collocabitur Nunc igitur unum eduobus eligamus aut semper
cruciari cum ipsis aut perpetualiter letari cum sanctis Bonum siqui
dem et malum mors et uita ante nos sunt posita ut ad quod
eorum voluerimus manum extendamus Si tormenta nos
non terrent saltem premia nos mulceant et inuitent

De premio et felicitatibus bonorum cap x

Premium est uidere deum uiuere cum deo uiuere de deo esse
cum deo esse in deo qui erit omnia in omnibus habere deum qui
est summum bonum ibi est summa felicitas summa iocunditas uera
libertas perfecta caritas summa securitas et secura eternitas
ibi est uera leticia plena sciencia omnis pulchritudo omnis rectitudo
Xpus Est ibi pax pietas bonitas lux virtus honestas Gaudia
leticie dulcedo uita perennis Gloria laus requies amor
et concordia dulcis Sic quoque cum deo beatus erit homo in cuius conscientia
peccatum non fuit inuentum Videbit deum aduoluntatem
habebit eum aduoluptatem fruetur adiocunditatem in eternitate
vigebit et in ueritate fulgebit in bonitate ac in amenitate ac in amenitate
gaudebit Sic enim habebit permanendi eternitatem sic